

*Jibr. 3. συμποσιακῶν.* Commendatur taciturnitas beati Laurentii, nolentis Ecclesiæ thesauros prodere impio Imperatori Decio. *Papyrius prætextatus puer à matre minis adactus, ut quid in Senatu (prisci enim senatores Romani filios pueros in senatum admittebant, ut rebus gerendis à teneris asuescerent) actum esset, eloqueretur: quandoquidem, inquit, tam importunè instas, age dicam: Deliberatur, utrum Reipubl. consultius sit, uxorem habere duos maritos, an verò maritum habere binas uxores.* Mater persuasa aliis matronis rem communicat; fit concursus mulierum ad senatum, qui rem percontatus, prætextæ honorem Papyrio concedit: Scilicet maluit Papyrius matrem ludere (qua in re vituperandus est) quam arcana senatus prodere: (qua in re laudem promeruit.) Ab illa prætexta deinde tenui præmio taciturnitatis Prætextatus est dictus, Macrobius lib. I. Saturnal. c. 6. Non igitur sine causa est dictum: τῆς στῆρης ἀκίνδυνον γέγες; siquidem, ut Cato in distichis,

*Virtutem primam esse puta compescere linguam:*

*Proximus ille Deo, qui scit ratione tacere.*

Dignum est memoriâ quod Q. Curtius scriptum reliquit, Persas regum arcana incredibili fide celare, non merum, non spem elicere vocem, quam occulta prodantur. Veteres reges disciplinam silentii vitæ periculo sanxisse, & linguam gravius fuisse castigatam, quam ullum probrum: Joachimus Vadianus in descriptione Persicæ.

Hic quæstio obiter incidit: An *κατὰ πάντας & semper vera sit regula: Qui tacet, consentire videtur? N. quia vera est non nisi in rebus jucundis & favorabilibus, falsa est in rebus damnosis.*

2 Taciturnitati opponuntur in excessu Garrulitas, in defectu intempestivum silentium.

3 Garrulitas est, quam quis in loquendo ad nimium, in tacendo ad parum deflectit.

SCHOL. Græcè dicitur ἀδολεξία, πολυλογία: Latinè Loquacitas, aliâs Futilitas, Waschhaftigkeit/ quem quæ taceri debent effutiuntur, quod vitium prohibetur Prov.

29.V.20.